



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XIV. De quorundam devotorum ardenti desiderio ad Corpus Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

ne manere mecum, ego volo libenter esse tecum.

Hoc est totum desiderium meum, ut cor meum tibi sit unitum.

CAPUT XIV.

De quorundam devotorum ariditate desiderio ad Corpus Christi.

VOX DISCIPULI.

1. **O** quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Quando recorder devotorum aliquorum, ad Sacramentum tuum Domine, cum maxima devotione & affectu accedentium, tunc sæpius in me ipso confundor & erubesco: quod ad altare tuum, & sacræ Communionis mensam tam tepide & frigide accedo:

Quod ita aridus & sine affectione cordis maneo; quod non sum totaliter accensus coram te Deo meo: nec ita vehementer attractus & affectus, sicut multi devoti fuerunt, qui præ nimio desiderio Communionis,

nis,

nis, & sensibili corporis amore, & fletu se non potuerunt abstinere:

Sed ore cordis & corporis pariter ad te Deum fontem vivum medullitus inhiabant, suam esuriam non valentes aliter temperare, nec satiare, nisi Corpus tuum cum omni iucunditate & spirituali aviditate accepissent.

2. O vera ardens fides eorum, probabile existens argumentum sacræ præsentiae tuæ!

Isti enim veraciter cognoscunt Dominum suum in fractione panis, quorum cor tam valide ardet in eis, de Jesu ambulante cum eis.

Longe est a me sæpe talis affectus & devotio, tam vehementis amor & ardor.

Esto mihi propitius Jesu bone, dulcis & benigne: & concede pauperi mendico tuo, vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra Communione sentire, ut fides mea magis convalescat; spes
in

in bonitate tua proficiat; & charitas semel perfecte accensa, & cœlesti manna experta, nunquam deficiat.

3. Potens est autem misericordia tua, etiam gratiam desideratam mihi præstare, & in spiritu ardoris, cum dies benèplaciti tui advenerit, me clementissime visitare.

Etenim licet tanto desiderio tam spiritualium devotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua, illius magis inflammati desiderii desiderium habeo, orans & desiderans, omnium talium fervidorum amatorum tuorum participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari.

CAPUT XV.

Quod gratia devotionis humilitate & sui ipsius abnegatione acquiritur.

VOX DILECTI.

I. Oportet te devotionis gratiam instanter quærere, desideranter petere, patienter & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humili-